



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Duodecim Docume[n]ta ad consequendam perfectionem charitatis erga
Deum. Cap. xxxiiij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

amata est, ita vt audiat: Sicut dicit me Pater, ita & ego diligo te. Sed quomodo. Pater hominem Christum dilexit. Certè ita amauit eum, vt nullis precedentibus meritis eius humanam naturam Verbo copularit, & ad incomprehensibilia bona præelegerit, & dederit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu, omne genu flectatur. Amavit eum ita vt virtutibus & gratia super omnem gratiam exornaret, vt donis, & potentia super omnem potentiam cumularit, vt ad infinitam gloriam super omnem gloriam euexerit. Tandem dilexit eum, vt filium naturalem, & ex se genitum, cui omnia creata, tã visibilia, quam inuisibilia subiecit. Sic & Christus dilexit nos; nam sine vllis meritis nostris nos sibi per gratiam copularit, vt ipse esset caput, nos autem membra; ipse vitis, nos palmites; ipse radix, nos rami; & ad suę glorię confortium elegit. Ille sine meritis nostris gratiam animabus nostris donat, & ornamenta virtutum infundit. Dat quidem ipse nobis, vt calcemus super serpentes & scorpiones, dũ vitia nostra proterimus, vt demonia eiciamus, dum eorum importabile iugum abiciamus, vt linguis nouis loquamur, dum veterẽ vitam peccatis deditã, in nouam, virtutibus seruicem commutamus, vt serpentes tollamus, dũ victoriũ monstra à cordibus aliorũ propellimus, vt manibus super ægros impositis salutem illis afferamus; dum verbis & doctrina eius per nos, prædicatã è pelago victoriũ emergunt, & in luce diuinę gratię respirant. Denum, si fide viua credamus in eum, dat nobis, vt opera, quę ipse fecit, & nos faciamus; & disposuit nobis, sicut disposuit illi pater suus, regnum, vt edamus, & bibamus super melsam suã in regno suo. Hęc igitur sit postrema sancti amoris regula, ac purissima dilectionis summa perfectio, vt fratres diligamus, sicut à Christo saluatore diligimur. Eñitatur ad eum gradum charitatis prouehi, vt verè quisque possit, suis fratribus dicere: Sicut dilexit me Christus, ita & ego dilexi vos. Vide, ò religiose, quemadmodum amaris à Christo, quanta mala tibi condonauit, quantas imperfectiones dissimulauit, quanta & quam incomprehensibilia bona tibi præparauit: quam misericorditer errantem qua si uit, fugientem vocauit, insistentem adduxit, uenientem suscepit, susceptum mundauit, mundatum ditauit, ditatum illuminauit, illuminatum accendit, accensum in se transformauit, & ad incomparabilem dignitatem extulit. Ita & tu, si aliqua perfectionis desideria sentis, si aliquos haustus puritatis accipis, si aliquem vitę cęlestis desiderium experiaris, dilige fratres tuos, vt Christum perfectionis exemplar non solis desiderijs teneas, sed perfectionis operibus imiteris. Indue viscera misericordię, circunda tibi benignitatis spiritum, & tuam imbecillitatem aduertens, fac altis, quod tibi lapsõ, aut tentato, aut tristitia affecto, fieri concupisceres. Fratrum iniurias tibi illatas, obliuiscere; contumelias dissimula, & non dico inimicitiam (domum enim religiosam profanat, qui in ea inimicitiam & discordiam nominat) sed animi auersiones deponere. Corrige exemplis errantes, inuita beneficiis fugientes, anima læticia vultus nutantes, uenientes suscipe, verbis mone, exemplis allice, doctrina illumina, & operibus beneficiã te omnium amicũ declarata, te in visceribus Christi omnes amare ostende. Hęc est perfectio fraternę charitatis. Christum imitari, Christũ sequi, & proximos amare, sicut nos ipsos, quod tũc omninõ, & vt decet perfectissimẽ implenemus, cum diligimus ipsos, sicut Christus dilexit nos.

Duodecim documenta ad consequendam perfectionem charitatis erga Deum.

CAPVT XXXVIII. **M**nia, quę deinceps in his libris dicemus, ad consequendam charitatem Dei, & proximi referenda sunt, & ad obtinendum vię Christianę finem, qui profectio (vt diximus) ab hac gemina charitate nequaquam secernitur, sunt penitus reuocanda. Sed ne tam longa, & prolixa tractatio legentium animos suspensos teneat, & expectatio molesta tædio dilationis afficiat, opere pretium duximus sub breui cõpendio aliquas regulas prælibare, quę ad assequendam perfectionem in gemina charitate constitutam magnam legentibus utilitatẽ afferant. Licet enim perfectio, aut perfecta Dei, & proximi charitas, non humana solum industria, sed diuina gratia conquiratur, quę diffusa est in cordibus nostris, non per humanas vires, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, tamen corda otiosa, & torpentia non sustinet, nec humani cordis humilem conatum excludit. Quinimõ isto conatu diuini auxiliij viribus nixo, homo Dei gratiã cooperatur, & eius efficaciam non resistit, ad altiora, & supernaturalia dona recipienda se præparat. Subiciam ergo nonnulla documenta atque efficaciam subsidia obtinendę perfectionis, & perueniendı ad perfectam Dei, & proximi charitatem, quibus mens hominis idonea constituitur, vt eam à patre luminum, ac omnium factore Deo, liberaliter & dono datam accipiat. Ab his autem documentis, quę ad perfectam charitatem erga Deum consequendam non parum conferunt, incipiamus.

Tu igitur, ò religiose, qui sæculum reliquisti, & omnia mundana conculcasti, vt tuę animę saluti confuleres, & vitę spiritualis perfectionem obtineres, primũ omnium insipientium opiniones, & tepidum murmuraciones contemne. Ne contemnas illos, sed eorum dicta, eorũ sensus, & definitiones pro nihilo habe. Quomniã de similibus dixit Dominus: Cæci sunt, & duces cæcorum. & sicut ipsi in vita sua nihil perfectum, nihil sublime sapiunt; ita sæpè in fratrum suorum conuersatione, feruorem dampnant, disciplinę rigorem obnubilant, & quidquid limites ordinarię vitę, & terminos societatis, & tepiditatis excedit, singularitatem vocat, & indiscretionis, atq; imprudentię condemnant. Tu ne sequaris doctrinã eorum, ne vitam ignauam, & vilem imiteris, neque illorum, quas fundunt, detractionum, vllã rationem habearis, sed regulã exquisitè custodis, quidquid ipsa præcipit, aut consulit, vt iacet, ad literam intellectum, non singularitatem, sed sanctitatem iudica; viros sanctos, atq; perfectos imitare, & vitę ipsorum arctã quidem, & putã quoad poteris, tuam vitam accommoda. Si enim tepidorum, & imperfectorum, qui vbiq; sunt, detractiones timueris, irrisiones reputaueris, & eorum conuersationem sectatus fueris, nunquam poteris, aut sanctorum vitam imitari, aut ad perfectionem peruenire. In hunc namque locum optimè illud Ioannis Cassiani quadrat: Quam obrem si Euangelicõ præcepto volumus obedire, & Apostoli, ac totius illius Ecclesię primitiuę, seu Patrum, qui virtutibus, ac perfectioni eorum nostris temporibus successerunt, imitatores existere, nõ nostris definitionibus acquiescamus, de hoc tepido, ac miserabili statu, perfectionem nobis Euangelicam pollicentes, sed illorum sectantes vestigia, circumuenire nõ me ipsos minime studeamus. Aduersam itaque te obmurmurent imperfecti, tuę diligentię in Dei obsequiũ impense detrahant, dicant, quod primũ in bacam uenit; asferment, quod sibi libuerit, te aut singularem, aut superbam, aut à demone illum appellent; tu uerõ regulam tene, disciplinam quam diligentissimè

Philipp. 4.

Mar. 16.

Ioan. 14.

1 Cor. 13.

Luc. 22.

Rem. 5.

I.

Matth.

Cassia. li. 7. de spir. u. vbi. c. 18.



Mat. 15.

Psal. 37.

Psal. 116.

2.

Prov. 35.

Iustin. lib. de gradibus perfect. c. 6.

Genes. 1.

serua, Patrum scita custodi, & vanas opiniones patienter sustine, sciens, quoniam, si cæcus cæco ducatum præster ambo in foueâ cadunt. Vade ad Dominum tuum, cum has tepidorum, & imperfectorum querelas, & detractiones audieris, & dic ei cum sancto Davide: Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut murus non aperiens os suum: Et factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore tuo redargutiones: Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus. Ipsete liberabit à labiis iniquis & à lingua dolosa, & opportuno tempore veritatem aperiet.

Fuge, nõ dico magna peccata (quis enim putet te in religiosa vita positum criminibus, & lethibus peccatis fordere?) sed peccata leuia, & minimos quosq; defectus deuota, ne vniquã omnino scienter facias, aut dicas, quod imperfectione esse cognoueris. Sicut enim ars quælibet exercitatione actui, & operum eiusdem artis addiscitur: ita perfectio, aut imperfectio mentis humana actibus bonis, atq; perfectis ex gratia profectis; aut actibus malis, & imperfectis ex solo libero arbitrio promanantibus comparatur. Quare si peccata non vitas, & imperfectiones nõ fugis, sed amas, sed consulto sectaris, sed inuerecunde defendis, non ad perfectionem ascendes, sed in barathrum tepide vite, atq; imperfecta descendes. Merito igitur monet te Salomon. Aufer rubiginem de argëto, & egredietur vas purissimum. Vas namque purissimum nõ est aliud, quã animus vitam perfectam ingressus, & dono puritatis ornatus; quem sanè habemus, cum omnem ab eo rubiginem peccatorum auferimus, & imperfectionum nostrarum immunditiam abstergimus. Dicit tibi Laurentius Iustinianus, quãta diligentia, perfectionis amator omne peccatum debeat euitare. Grauius delicta (inquit) nedum ei perpetrare non libet, verum etiam leuia, & minuta, sine quibus mortalis vita non ducitur, solerter declinare conatur, agnoscens pro certo, quod nemo criminibus prægrauatus, ad perfectionis valet euolare vestigia. Intelligit præterea, quod viri sancti venialia paruipendendo consummare peccata, paulatim prolabantur in grauiora, & à virtutum resecunt vsu, quotidieq; procliuiores efficiuntur ad casum. [Time frater omne peccatum, & nihil leue putes, quod diuinam maiestatem offendit, virtutem cõtristat, rationem oblatrantem contemnit, & mentem tuam ligat, & quasi compedibus vincula tenet, ne ad destinatum supernæ vocationis brauium currat, ne ad finem, scilicet ad perfectionem, perueniat. Cinge te ipsum timore peccati, & circumspectione te indue, ne aut falsa securitate deceptus, aut incuria dissolutus, aliquid, quod non putabas, aut Deo displicens, aut sanctissimis eius oculis minus gratum incurras.

Quotidie bis te ipsum discute, & tuã cõscientiam examina; mala quæ in cogitatione, aut loquutione, aut opere inueneris, luge; bona circûspice, & quod in eis, aut ineptum, aut minus seruandum fuerit, reprehede. Dominus ipse huius assidue examinationis doctor est, atque magister, quã non post multas ætates, sed in totius orbis exordio, & ante hominis conditione demonstrauit. Quid enim est illud in primis sex dierum operibus: Vidit Deus lucem, quod esset bona: & vidit Deus, quod hoc, aut illud esset bonum, & vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, nisi hominẽ exemplo docere, vt ad sua opera redeat, & ea, an bona sint, an mala, intentissima cõsideratione respiciat? Neque enim Deus, qui vtique aut falli, aut decipi, aut errare non potuit, hac suorum operum inspectione indigebat, & tamen singula inspexit, & eorum bonitatem, & pulchritudinem inquisiuit, vt hominẽ ad suarum actionum, cogitationum, & operum examinationem im-

pelleret, & tamquã benignus Pater, & prouidus Dominus imbecillitati humanæ naturæ, ante eius exitum, medicinam præpararet. Hanc autem artem discutendi seipsum, à Domino esse hoc loco per mysteriũ delineatam, Hugo de sancto Victore clarissimis verbis affirmat, quæ hæc ferè sunt. Non negligenter transfundendum est, quod dicitur: Vidit Deus lucem, quod esset bona; & diuisit lucem à tenebris. Fecit, & vidit, deinde diuisit, & vocauit. Quare vidit? Noluit prius diuidere, quã vidisset: prius vidit, si essent bona, & tunc demum diuisit lucem à tenebris. Adducet enim omne opus suum in iudicium. Non solum opera alia, quæ in luce fecit, vidit Deus, quod essent bona, sed ipsam quoque lucẽ vidit Deus, quod esset bona, & diuisit lucẽ à tenebris. Nam ipse Angelus malus transfiguratur se aliquando in Angelum lucis, & ingerit se ad decipiendam mentem, quasi lux vera. Et infra, ostendens quomodo etiam ipsa bona debeamus expendere, hæc subiicit: Partum est ad perfectum, inter lucem & tenebras, huiusmodi, hoc est, virtutes à vitis sequestrare, nisi sciamus inter diem & diem iudicare, & sciamus omnem diem iudicare, vt sapiamus, qui sunt illi motus, qui sub virtutum specie, quasi luce aliena ad nos veniunt, & qui rursus illi lux, qui veram virtutis claritatem præterdunt, & in ipsis quoque virtutibus, non solum quæ bona sunt, sed quæ sunt etiam potiora probemus. Discite igitur à magistro iustitiam, tuorum actuum semper iustitiam facere; quoniam beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam in omni tempore. Tuã bona promoue, tuã mala seuerè ac rigide reprehende, & sine multa, & debita satisfactione abire nõ sine. Nã hac ratione tuos defectus agnosces, cognitos deplorabis, deploratos dilues, & diuinã misericordiam obtinebis. Sic etiã à bonis operibus innumeras imperfectiones amoueabis, ea in dies perficies, quousque perfecta opera facias, & eorum ministerio tãquam dispositione quadam in fastigiũ perfectionis ascendas.

Mortificatione sensuum tam exteriorum quã interiorum, & corporis discretam afflictionem assume, nec non & passionum tuarum cohibitionem diligentissima cura sectare. Huius sanè documẽti Dominus ipse doctor est atq; præceptor, qui in Deuteronomio, ad Dei dilectione, id est, perfectione obtinendam cordis circumscriptionem sua lege sancit. Circumcidet (inquit) Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. Hanc verò cordis circumscriptione, ita præstabis, si quæ videre cupis, dũ sunt inutilia nõ videas; quæ audire velles, si vana & curiosa, nõ audias, quæ olfactui suaui, aut gustui dulcia, aut tactui mollia, percipere cõcupiscis, si necessaria non sunt, nequaquã percipias, sed ab eis te constanter abstineas. Similiter imaginationem cohibe, ne per vana discurras; affectibus amoris, odij, desiderij, auersionis, dilectionis, atq; tristitiæ, nec non audaciæ, & timoris, spei, & desperationis, iræ, ac indignationis acriter impera; non solum ne te in peccata grauius præcipitet, verum etiam ne domũ cordis, in qua habitat Deus clamoribus importunis perturbent, aut mētis tranquillitate impediatur. Mens etenim tua, si diuinã gratiã est adeptã, & ad perfectione aspirat, spiritualis est Ierosolyma, quã Christus nõ omnino depellat, & in suã trãsfert potestatem, quousq; sensus mortificetur, & affectus ad pacem, & ad debitum ordinẽ redigantur. Audi quid dicitũ fuit Dauidi, cum Ierosolymã expugnaturus & possessurus aduenerat: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes; Non ingredietur Dauid huc. Quisnam est iste Dauid, qui verbẽ Iebusæorũ expugnauit, nisi Saluator noster Iesus Christus, qui humanã mentem à Iebusæis (qui interpretantur conculcati) id est, à

Hugo.

Psal. 105.

Deut. 30.

2. Reg. 3.



Dæmonibus ac peccatis liberavit, & in suum dominium transferre disposuit. Et qui sunt isti cæci, & claudi, qui Christo aditum claudunt, & eius in mentem pacatum ingressum impediunt, nisi sensus & affectus inordinati, quorum illos vana curiositas cæcat, istos verò ne bene gradiantur, desiderium commoditatis eneruat: Isti ergo cæci & claudi tollendi sunt, id est, per studium mortificationis cohibendi, & ad medium virtutis reuocandi, vt Christus mentem suam habitaculum faciat, & nō ex parte tantum, sed omnino, atque perfecte possideat. Cohibe igitur sensus, & affectus tuos, mortifica illos, vt habitaculum Dei efficiaris, vt perfectionem & puritatem hoc habitaculum erigere, & exornare acquiras. Nec pures te perfectam virtutem assequi posse, nisi ianuam sensu claudas, per quas nō solum imperfectiones multæ, sed ipsa etiam animæ mors interdū ingreditur; & bestias passionum domes, quarum moribus & vngulis miserabiliter dilaceratur. Ille diuinus est Philosophus (inquit beatus Ephraim, id est, vt sanctus, atque perfectus, qui omni tempore prauis suis concupiscentiis resistit. Nā qui in solo nomine sapientie sibi blanditur, & gloriatur, propriasque sibi concupiscentias nō subijcit, insipiens hic proterus, ac stultus reputabitur, quod de tā modicis passionibus ipse inquietari, ac torqueri velit.] Quomodo itaque perfectus eris, quo pacto nō insipiens reputaberis, si perfectionem cupiens, perfectionis hostes non vincis, & sanctitatis impedimenta non excludis?

Nimum autem amorem erga aliquam rem creatam strenuè deuita, & cor tuū à desiderio rerum visibilibus purum illibatumque custodi. Si enim aliquid concupieris, quod vel ad tuum honorem, vel ad tuam commoditatem pertineat, illud quidquid sit, cogitationem vinciet, affectumque ligabit, ne ad Christi imitationem, & Dei vniouem perneciter conuoles. Si autem, qui omnino se à rebus creatis expediūt, & summis conatibus volant, vix ad sanctitatem perueniunt, quomodo tu miser eam assequeris, tot amoribus deuentus, tot desideriis vincas, tot curis, & distentionibus oneratus? Arcta est via, quæ ducit ad vitam, impeditus est ascensus in regnum cælorum, difficilis est cursus quo non ad quamcumque virtutem, non ad quamlibet gloriam, sed ad perfectam virtutem, & ad gloriam illi correspondentem properamus. Necessesse est ergo curas rerum mundanarum seponere, amorem visibilibus relinquere, desideria commoditarum periturarum deserere, & in hanc curam veræ sanctitatis, in hunc amorem, & in hoc desiderium solum incumbere. Regnum cælorum (vt ait Cassianus) non desides, non remissis, non delicatis, non teneris, sed violenti deripiunt. Qui ergo hi violenti sunt? Nempe illi, qui non aliis, sed voluntatibus suis præelaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omnino se presentium rerum voluptate fraudantes, voce dominica egregij directores pronunciantur, & per huiusmodi rapinam regnum cælorum violenter inuadunt. Regnum enim cælorum, secundum sententiam Domini, vim patitur, & violētī diripiunt illud. Isti profectō sunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. Homo enim (vt scriptum est) in laboribus laborat sibi & vim facit perditioni suæ. Perditio nostra est oblectatio vitæ presentis, & (vt expressius dicam) executio desideriorū, voluptatumque nostrarū, quas si quis ab anima sua subtraxerit, & mortificauerit, gloriosam profectō & vitæ perditioni suæ vim facit, abnegās dūtaxat ei iucundissimas voluntates, quas per prophetam sermo diuinus frequēter inculcat, &c.] Eia ergo frater, inanes curas depone, honores abiice, Prælationes contemne, tuorū commodorum, siue quæ ad cibum, siue quæ ad indumentum,

A siue quæ ad habitationem, siue quæ ad ministerium, siue quæ ad sollicitudinem lingue, & ipsi rerum cognitioni, & studio literarū modum adhibe, & omnia diuine prouidentie committe: Vnus autem solus amor in te regnet, vnum desiderium impere, vna cura dominetur, adhaerere Deo, eius voluntatem etiam in minimis, exequi, & quicquid ad mentis puritatem adipiscendam necessarium est, exquisitè custodire.

Humilitatem, & obedientiam semper tuarū actionū fidelissimas comites adhibe; nec existimes aliquod opus, quantumvis magnū, tibi ad perfectionem assequendam esse proficuum, quod nō humilitas sancta condiderit, & proutissima obedientia distauerit. Harū quippe duarum virtutū, humilitatis, & obedientie, illa nos roborat, ista nos animat; illa prouidos; ista constantes efficit; illa perueniunt ad operis finem; ista premiū, & mercedē operis exigit. Humilitas, inquam, nos roborat; quoniā robur gratiæ à Domino impetrat; qui sicut superbis resistit, ita humilibus dat gratiam, & obedientia nos animat; quoniā illi promissa est incepto prælio victoria, eum scriptum sit: Vir obediens loquetur victorias. Humilitas prouida est, quia ea, quæ ad finem assequendum necessaria sunt, prudenter sollicitèque disponit, cum nequaquam sibi ipsi cōfidat; & obedientia constans, quia & voluntatem Dei sequitur, quæ immobilis est, cum ipse Dominus dicat, per Malachiam: Ego Dominus & non mutor; & non propria voluntate omni vento leuiore raptatur. Humilitas assequitur finem, iuxta illud quod ait Salomō: Antequam coneratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur, humiliatur; & obedientia mercedem perseueranti debitam poscit, quæ nō propria voluntati, sed prudenti subiectioni conceditur. Humilitas, & obedientia (vt similitudine Dorothei vitæ) sunt veluti duo agiles equi, vitæ nostræ currum trahentes, & in cælestes mansiones sine vilo labore portantes. Nam sicut currus vno equo non satis commodè trahitur, sed duobus vniuersimodè vehitur; ita vehiculum spiritualis conuersationis duobus virtutibus humilitate, & obedientia sine vlla difficultate portatur. Eito ergo semper humilis, ita vt te ipsum ex corde contemnas, & tibi ipsi omnino diffidas; esto & obediens, ita vt ductum Prælati sequaris, & tuam non expleas voluntatem, & tuissima via, ac celeri gressu ad perfectionem festinabis.

Ne sis in tuis operibus, aut exercitiis singularis, sed ea efficaciora tibi, ad capeendam perfectionem iudica, quæ communis vsus cōgregationis approbat, & Patrum instituta præscribunt. Hæc enim exercitia strenuè, & sollicitè præstita Patres tuos, & tuæ religionis fundatores sanctos fecerunt, & ad perfectionem prouexerunt; te igitur etiam ad eandem assequendam iuuabunt. Neque enim temporis mutatione, hæc sanctitatis instrumenta mutata sunt, nec sicut antiqua medicamina, suam efficaciam amiserunt, sed hodie etiam efficacissima sunt morbis animæ nostræ pellendis, & veræ mentis puritati prærogandæ. Et quidem Cassianus in rebus monasticis præceptor satis expertus, illum feruentiorem iudicat, qui ad communes occupationes promptior fuerit, & se regulari modo viuendi magis accommodauerit. His (inquit) vestimentis Christi miles indutus, non erit prius se ob id cinguli constructione munitum, vt ad cunctos vsus, & opera monasterij, non solum mente promptus, sed etiam ipso habitu semper expeditus incedat. Tantò namque feruentior circa spirituales profectum, ac diuinarum rerum scientiam, & cordis puritatem probabitur, quanto fuerit erga obedientiam studium, operisque deuotior. Quo tantè documento quorundam feruorum Dei ingens

Ephraim ser. ad pie rati bo nady, opo- rra nable- ra exort.

5.

Matt. 7.

Cassian. col. 24. vlt.

Matt. 11.

Prout. 16.

6.

Jacob. 4.

Prout. 21.

Malac. 3.

Prout. 18.

Dorothei doct. 1.

7.

Cassian. libr. 1. de inst. 12.



deceptio aperitur, qui consuetæ opera sui status, aut parui pendentes, aut cum tardio, & nausea præstantes, nouas, & inusitatas, & suo instituto contrarias seruendi Domino rationes excogitant, quibus putant se breuius & compediōsus veram virtutem, ac mentis puritatem comparaturos, sed prorsus decipiuntur. Nam sicut scopus vitæ spiritualis vnus est, scilicet vitæ sanctitas, atque perfectio, qua Christum induimus, & Deo per omnia placere cupimus; ita vitæ ad hunc finem assequendum debent esse diuersæ: Et ille profectō nequaquam ad finem perueniet, qui alienas vias, & sibi oclusas ingressus fuerit, viamque sibi à Domino assignatam, ac destinatam, scilicet viuendi rationem suo statui congruam, professionique, contempserit. Non tamen est singularitas, tepidorum vitam prætergredi, & imperfectis se non conformare, & istis non seruantibus regulam, eam exquisitè seruare. Isti enim contemptores, & transgressores regulæ singulares sunt, qui nouum viuendi modum in religionem inuehant, & statuta Patrum, & scita concludunt. Vnde tu non es singularis, vitæ tuæ illorum vitia, & peccata damnans, loquacitatem, & otiositatem oburgans, & regulam, quam professus es, exactè, & perfectè custodiens.

8. Conuersatio tua cum hominibus admodum moderata sit, nec putes te huiusmodi conuersatione, sed potius Angelorum, ac sanctorum alloquio, ad perfectionem iuari. Illa autem erit moderata, quæ à vitæ religiosa non deuiet, & tuo instituto, & modo viuendi conueniat. Illa erit moderata, quæ ad spirituales tuæ animæ profectum dirigatur; cum scilicet virum spirituales, aut sodalem eiusdem propositi fidelem alloqueris, vt eius verbis remedium ad aliquam tentationem vincendam, aut lucem ad virtutem acquirendam, aut nouum feruorem ad perseuerandum adducas. Illa etiam erit moderata, quam pro tui muneris ratione ad vtilitatem aliorum, vt eos erudias, & à somno vitiorum exulescites, vel aliquid necessarium doceas, Deo, & prælati annuentibus, admittis. Illa tandem erit moderata (vt supra ad aliud propositum diximus) quam iusta necessitas exigit, aut prudens, & discreta charitas postulat. Extra has religiosæ conuersationis regulas, cum secularibus verba miscere, & res inutiles ac superuacuas tractare, religioso periculosum est: ex quo ille non profectum spiritus reportabit, sed internis oculis nebulam, affectui teporem, virtuti detrimentum, religioni damnum, & aliis fratribus murmurandi occasionem, & non bonum exemplum eliciet. Verissimum ergo est, quod qui custodit os suum, ne scilicet verba inania & inutilia profundat, custodit animam suam: nam sicut per portam vrbis ingrediuntur hostes, qui eam populantur, & egrediuntur milites, qui ipsam tuebantur, ac propugnabant: ita per aures ingrediuntur verba noxia, quæ spiritum nostrum exagitant, & per os egrediuntur sermones fatui, qui mentem feruore vacuant, & robur eius enervant. Sapienter quidem Laurentius Iustinianus cordis, & oris custodiam, paria existimat. Illa (inquit, scilicet, quæ ad temporis reddendam rationem pertinent) si interdum, qui nugis vacant, curiositati inseruiant, otiosa sectantur, & terrenis inuigilant lucris, reuoluerent secum, non minus cordi, quam ori suo prudentem adhiberent custodiam. Vtrumque ad seruandam innocentiam, & vitæ sanctimoniam necessarium est. Quid prodest, si omni diligentia serues cor tuum, sciens quoniam ab ipso mors, & vitæ procedunt, & linguæ ostium absque vilo temperantia obstaculo viatoribus pater permittas? Vel quæ vtilitas est, si loquacitatem corrigas, si silentij celsuram viriliter teneas, & obsecris cor tuum suas co-

A gitationibus fœdari? Rectissime ergo definiendum est, quod nec cordis munditia sine taciturnitate possidetur. Si munditiam igitur, ac cordis puritatem concupiscis, & ad sanctitatem aspiras, omni custodia serua cor tuum, ne inieris noxia, & vana loquatur, & omni custodia serua linguam tuam, ne exterius inutilia, & otiosa dicat, quoniam ab vtroque spiritualis vitæ dependet.

Externas occupationes, quæ tibi ab obedientia, aut à charitate demandatæ fuerint, magna libertate spiritus incipe, sine vlla spiritus anxietate perage, magna spiritus tranquillitate perfice. Nimia enim sollicitudo animam in varias cogitationes, & desideria distrahit, & à diuina presentia, & feruentissimo perfectionis desiderio diuellit. Nec impossibile est rem aliquam, quantumuis magnam, quantumuis necessariam, aut vilem bene facere, & cum ingenti libertate, & tranquillitate facere. An non, cum pauimentum verris, optimè verris; & cum catinos lauas, optimè lauas? & tamen sine imprudenti sollicitudine, sine nimia anxietate, sine vano timore, aut turbatione lauas; ita vt spiritum tuum collectum, Deo presentem, & quietum, ac tranquillum retineas. Eodem modo seruata proportione omnia negotia tractanda sunt omnes res externæ faciendæ: ita scilicet, vt curam moderatam, & attentionē discretam, prout rei qualitas exigit, prudenter adhibeas, non tamen ineptè anxieris, stultè turberis, & vanè solliciteris; sed quadam amabili spe tui Creatoris & fidelissimi adiutoris cœcepta, à quo te iuari & sustentari senties, cuncta incipias,

C peragas, atque perficias. Sic pusillus magna facies, & imbecillus ingētia perficies, & viribus destitutus, difficilia, & ardua patrabis; non tu, sed gratia Dei tecum, quæ non derelinquit in ipsam sperantes, præsumentes autem de se ipsis & de sua virtute gloriantes humiliat. Illa verò nimia & imprudens anxietas, quæ in rebus agendis à nonnullis concipitur, astus Dæmonis est, vt eorum mentes ab spiritualibus desideriis distrahat, & à perfectionis amore dimoueat, & tempore sanctæ orationis inquietet. Quod quædam nescio an lepidâ, an miserabilis cuiusdam monachi in rebus superfluis anxie laborantis, historia satis abundè demonstrat; quem (vt Cassianus narrat) alius probatissimus monachorum, eminens vidit saxum durissimum conterentem, & iuxta illum Æthiopem altantem & ignitis facibus ad comminuendum saxum instigantem alpexit. Hunc ergo inepto labore fatigatum cum interrogasset alius, quid ageret, & ille respondisset; Laborauimus contra hunc durissimum saxum, vixq; aliquando potuimus illud coterere: Subiunxit senex: Bene dixisti, potuimus; non enim solus eras, cum illud caderes, sed fuit alius tecum, quem nō vidisti, qui tibi in hoc opere, non tam adiutor, quam violentissimus impulsor adstabat. Ex his autem nolo frater, vt excors & negligens fias, atq; in rebus tibi iniunctis ignauiam, & socordiam concipias, sed vt medium teneas, & distractionem, ac immoderatam sollicitudinem fugias, quæ sine dubio pestis est orationis, detrimentum lectionis tinea vitæ spiritualis, & mater ineptissimarum cogitationum, atque curarum, per quam, vt per ianuam solent in corda virorum spiritualium ingredi sollicitudines, quæ omnino spiritum deuotionis exhauriant, & tempus, imò & desiderium orationis furripiant.

E Negotiorum multitudinem, quæ tuas vires corporales, aut spirituales excedant, nequaquam admittas, sed solerti meditatione considera, quid possis, & quid sine spiritualis profectus detrimento non possis, & illud faciendum assume, hoc autem prudenti executione deuota. Optimè namque dixit quidā sanctus,

& sapiens

Prov. 13

Lauren.
Iust. libr.
de Trib.
Christi
agone. ca.
25.

Indith.
12.

Cass. col.
9. c. 3.

10.

& sapiens vit nostri temporis: Nulli plus filiorum, quam lactis; nec plus negotiorum, quam virium esse debere. Sicut enim, quæ mulier plures filios, quam possit, lactat, & sibi, & illis non modicum affert detrimentum; sibi, quia vires exhaurit, & corpus extenuat; & filius, quibus minus sufficienter lac subministrans, eos imbecillos, & malè sanos educat: ita, qui negotia supra vires suscipit, & spiritum orationis euacuat, & nullum negotiū bene exequitur, sed multa incepta, aut cursim tractata derelinquit. Qua de re, sic loquitur Laurentius Iustinianus. Sunt multi, qui spiritus lenitate permoti, & inordinato feruore sub prætextu charitatis seducti ad eò in exterioribus. actionibus implicantur, vt de se nihil curare videantur. Diem quippe totum in his occupant, mentem dilaniant, corpus aiterunt, & spiritualia studia negligunt, sola temporalia cogitant. Istorum autem quale fuerit opus, exitus comprobabit. In diuinis namque legitur Scripturis, quod Moses cum ex Ægypto egressus esset, & absque intervallo causas populi occupatus audi ret, à Ietro suo cognato admonitus est, quod stulto labore, & vltra vires proprias desideret: cum minorā maioribus anteponeret, & plus debito in exterioribus se dilaret. Et quis Mose sanctior? quisve feruentior? qui à Deo dux populi Israel electus est? qui super omnes homines qui tunc morabatur in terra mirissimus? qui causas populi ardentissimo charitatis zelo iudicabat? vt audeat sine læsione persistere in eo, in quo sanctus propheta perseuerare nõ valuit. Audito namque gentilis viri consilio, prudenter restinxit negotia proximorū, vt in iis, quæ Dei erant, suo quietius vacaret tempore. Non enim sanctus propheta saniori dedignatus est acquiescere cõsilio: propter quod etiam plurimum profecisse dignoscitur.] Hanc verò negotiorum moderationem nõ ita intelligas, velim, vt onera à sancta obediẽtia imposta debeas abicere, & tibi imperata reculare. Obedientia quippe, sancta, & prudens, cum sit, in religionibus bene institutis, & prudenter gubernatis, externos labores inter suos filios solertissimo iudicio distribuit, & neminẽ supra vires onerat. Quod verò hortamur, id est, vt quæ negotia tu, vel charitate instigante, vel alio bono fine mouente, sponte, & propria voluntate suscipis, prius diligenter circumspicias, & illa attentè perlustras. Vide inquam, an talia sint, quæ te nõ opprimant, & (quod præcipuum est) scilicet studium propria perfectionis, haudquaquam impediunt.

Orationi & contemplationi diuinorum semper insiste: hanc, vt sponsam tenerimẽ dilige; vt dominam strenuẽ venerare, vt cibum, sine quo sustentari non poteris; vt vestem, sine qua nudus, & algidus eris; vt diuitias te replentes, & protegentes concipisce. Huius desiderium te summo manẽ ad vigilandum exsuscitet: huius amor te quietentem, & dormientem excipiat; huius studiũ te vigilantẽ & aliquid operis facientem accendat. Habes temporis spatia manẽ, & vesperẽ orationi destinata, quæ ita diligenter custodias, vt nulla occupatio, nullum negotium, nulla necessitas illa surripiat. Si quando verò cõtingerit hoc tempus orationi donatum aliqua necessitate, aut obedientiæ occupationi abripi, sequens hora, aut certè alia eiusdem diei, quod huic sponsa dilectissime oblatum est, sollicita cura restituat: Si enim consuetudo, & necessitas corporalis exigit, vt alimenta hora solita corpori non ingesta, in alium diem minimè protrahantur, sed quam primum fieri potest, naturali imbecillitati donentur: cur spiritualis necessitas, quæ maior est, eandẽ diligentiam nõ requirit, vt scilicet orationis dulcissimus cibus animæ, cõsuetu hora negatus, statim hora sequenti, aut certè alia eiusdem

A diei, sine vlla cunctatione ingeratur, & quo tardius eò audius, appetentiusque donetur? Non solum autem destinatis temporibus debes diligenter orationi vacare, sed etiam omnibus occupationibus & negotiis tuis sollicita circumspectione miscere. Illa quoduis opus incipiat, illa progressũ operis comiteret; illa etiam operi finem imponat, adeo, vt quantum fieri poterit, vita tua non aliud sit, quam quædam indurpta & perseuerans oratio. Paulus ait: Sine intermissione orate; Nam oratio est, quæ vincit difficultates nostræ conuersioni aduersantes, & sustinet vitæ spiritualis exordia. Ipsa est, quæ profectus virtutum auget, & ad concupitam perfectionem prouehit. Ipsa deniq; præcipuum est perfectorum studium, quo (quia numquam in hac vita ad supremum gradum perueniunt) mirabili modo crescunt, & quotidie in maioris puritatis gradum ascendunt.

B Hactandem sit, in omnibus, quæ egeris, tua sollicita cura, tua iugis occupatio, Deum aut extra te ipsum, aut intra te ipsum præsentem intueri, & purissimis desideris, sanctissimis colloquiis, & ignitis amoris affectibus, ad diuinam, & incomprehensibile eius bonitatẽ aspirare. Nihil enim efficacius est ad peccata delenda, imperfectiones extirpandas, proteruiam humanæ naturæ molliendam, virtutes acquirẽdas, & nostram mentem in Deum transformandam, quam hoc amoris exercitium, siue cum voluptate, siue cum mentis ariditate præstitũ, quo potentissimè terrena fugimus, & in carne mortali quodammodo impassibiles, & caelestes efficitur. De hoc amoris studio Albertus magnus ita loquitur. Nõ est ergo aliud, quod nos ab exterioribus sensibilibus intra nos, & ex inde in Iesu Christi intimam, & diuinam trahit, quam amor Christi, quam desiderium dulcedinis Christi ad sentiendum, percipiendum, & degustandum præsentiam diuinitatis Christi. Non itaq; aliud est, quã amoris vis, quæ etiam animã de terris ad fastigia caeli celsa perducit. Nec ad summam beatitudinem quis peruenire potest, nisi amore, & desiderio prouocãte. Ipse etiam amor est vita animæ, vestis nuptialis, & perfectio ipsius, in quo omnis lex, & Prophetæ. Vnde & Domini edictũ p̄det. Vnde Apostolus ad Romanos plenitudo legis est dilectio. Et prima ad Timotheũ: Finitis præcepti est charitas. Sed in his duobus orationis indurpta, & frequentium aspirationum postremis documẽtis sicut magna diligentia, ita maxima prudentia necessaria est; ne quis supra vires naturæ, & gratiæ sibi à Domino prærogatas operibus mentis, & affectus insistens, breui tempore caput lædat, pectus frangat, & corpus extenuet; ita vt nõ possit vltra progredi, & cum magno damno suo, & aliorum detrimento (qui imprudentium indiscretionibus consideratis, sunt negligentes, & pusillanimes) aut viam spiritualium exercitationum deserat (quod Diabolus impensè cupit, & indiscreto feruore consequi intendit,) aut certè (quod frequentissimè vidimus) in studio perfectionis incepte sc̄at.

E Duodecim alia documẽta ad consequendam perfectionem charitatis erga proximum.

CAPVT XXXIX.

A Ccipe nunc duodecim alia documẽta, quæ mirificè tibi proderunt, vt cum Dei gratia perfectionem charitatis erga proximos assequaris, & duabus perfectionis partibus supradictis plenè & eumularè satisfacias.

Alluesce si a rem aspicerè non vt carnem, & san-

Lau. Iust.
lib. de dis-
cept. &
persect.
monast.
cap. 11.

Exod. 18.

11.

1. Theof. 5

12.

Alb. lib.
de adha-
ren. Deo.
cap. 12.

Rom. 13.
10.
1. Tim.
15.